



Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis secernenda, tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones humanas iuxta ...

Complectens ea quæ ad Sacramenta & mores pertinent

Abelly, Louis

Coloniæ Agrippinæ, 1659

§. 3. De Episcopis aliisque Ecclesiæ Prælatiſ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38979

De Episcopis, aliisque Ecclesie Prælatiis.

CERTVM est in primis Episcopos ex divina institutione in Ecclesia positos fuisse ad illius regimen & gubernationem, ut manifestè constat ex his verbis Act. 20. *Posuit vos Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei;* proindeque legum ferendarum potestatem penes illos esse respectu sibi subditorum,

Certum est etiam ex eadem institutione divina, Episcopos superiores esse presbyteris, non solum quoad Ordinis dignitatem (ut in tractatu præced. Cap. 7. dictum est) sed etiam quoad regiminis autoritatem, seu iurisdictionem. Id aperte colligitur ex Epist. 1. ad Timoth. Cap. 5. ubi Apostolus formam præscribit, sub qua Episcopus accusationem adversus presbyterum recipere debet; ex quo sequitur Episcopum esse presbyteri iudicem, ac proinde superiorem; unde in Concilio Neocæsariensi can. 13. dicitur Episcopos Apostolis, presbyteros verò discipulis Christi in Ecclesiastica Hierarchia successisse: quod etiam docet S. Aug. in Psalm. 44 & in Concil. Trid. sess. 23. can. 7. anathema profertur in eum, qui dixerit Episcopos non esse presbyteris superiores.

Certum est præterea unumquemque Episcopum in propria tantummodo diœcesi, non verò in tota Ecclesia autoritatem & iurisdictionem obtinere: unde Concil. Constantino. 1. can. 3. declarat, quòd *Episcopi non invitati ultra diœcesim accedere non debent super ordinandis aliquibus, vel disponendis Ecclesiasticis causis:* quòd etiam decretum est cap. *Nullus primas*, 9. quæst. 2.

Certum est denique quod, sicut autoritas & iurisdictione respectu subditorum Episcopo competit; sic etiam ipsi Episcopo à subditis honor & obedientia deferri debet, juxta illud Apostoli Hebr. 13. *Obedite præpositis vestris, & subiaccete eis, &c.* Vnde S. Ignatius Martyr, in Epist. ad Tral-
lianos,

lianos, Episcopo, inquit, subditi estote sicut Domino: & in Concilio Calcedon. act. 15 can. 8. statutum, ut Clerici basilicæ, monasteriis, & aliis Ecclesiis ascripti, secundum sanctorum Patrum traditiones sub Episcopi potestate permaneant, nec per contumaciam ab Episcopo suo desiliant; qui verò audent evertere huiusmodi formam, & quocumque modo nec proprio subiiciuntur Episcopo, canonum correctionibus subiacent.

Quod spectat ad alios Ecclesiæ Prælatos, breviter dicimus, præter Romanum Pontificem aliosque Episcopos, quasdam alias dignitates in Ecclesia reperiri ad maiorem ipsius tum utilitatem tum decorem; ac in primis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales summo Pontifici assistere, ipsumque in regenda Ecclesia univèrsa consilio & opera iuvare, de quibus plura videri possunt apud Bellarm. lib. 1. de Clericis cap. 16. Patriarchas item ac Primate Archiepiscopis seu Metropolitanis supereminere, & istos aliis Episcopis, ita ut sicut habetur cap. Si inter, 6. quæst. 4.) ab Episcoporum iudicio ad Archiepiscopos & Metropolitanos appellari possit; & ab istis ad Primate & Patriarchas, ac demum ad Romanum Pontificem, cuius iudicio controversiam quamcumque ad res aut personas Ecclesiasticas spectantem dirimi ac definiri oportet.

Vbi tamen observandum est adversus Episcopos propter eminentiam dignitatis in causis criminalibus gravioribus, nec sententiam ferri, nec etiam iudicè inquire aut procedi posse absque sedis Apostolicæ autoritate, ut in pluribus canonibus sancitum habetur ac novissimè in Concilio Trid. sess. 24. cap. 5.

SECTIO VI.

Quibus modis cessare possit obligatio servandæ legis humanæ.

DICENDVM 1. legis humanæ servandæ obligationem cessare posse per abrogationem illius; ac proinde legem ipsam humanam ob causas aliquas iustas & rationabiles